

ODE NATALI-
TIA, VEL OPVS EIVS FERIAE,
quae S. Stephani protomartyris nomine
celebrata est anno
1574.

In memoriam P. Rami, optimi, et cla-
rissimi viri.

Typographi gnoma.

Suum cuique integrum esto iudicium.

[Deuice: Ancora Spei]

LONDINI
Excudebat Thomas Vautrollerius.
Typographus.
1575

Poeta ad lectorem.

Hos ego versiculos mihi feci, non tibi, lector:

Sic sibi, non alijs concinit albus olor.

Sic sibi, non alijs & philomela canit.

Sed mihi quos feci, tibi lector, non mihi vulgo:

Sic alijs promus, non sibi vina parat.

Sic alijsque faber, non sibi tecta struit.

Quid quaeris? tuus est fructus, mea gloria nulla est:

Et tibi res prodest, et mihi carmen obest.

Sed tibi prospexi, non mihi consului.

Adsis ergo, Humanissime lector: et, si Poetam non potes, (neque enim multum refert): at Artes tamen, ab eo celebratas, atque ipsam artium Artificem doctrinarumque Vindicem Methodum complectere. Mihi crede, nihil erit tanti: expertus loquor. Nam de Ramo ipso quid dicam, cuius est, eritque praeter caeteros nobilitata disciplina? Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, thesaurus est: vt de homine pererudito scripsit Plinius. Ac de eo quidem alias fortasse plura. Nunc ad versiculos, si placet.

[2]

ODE NATALI-
TIA, VEL OPVS EIVS
FERIAE, QVE S. STEPHANI
NOMINE CELEBRATA EST
ANNO 1574.

In memoriam P. Rami, optimi, et cla-
rissimi viri.

Ecloga Matutina.

Artes, et Methodus P. Rami ad Iuuenem,
Artium, Methodique studiosum.

Omnes Artes simul.

Heus studiose, ecquid nos diligis? aspice tecta:

Huc ades, & nostras vise, reuise domos.

Hic potes ingenuas didicisse fideliter Artes:

Hic regnant Musae, Pallas, Apollo, Charis.

Methodus.

Eia age, quid dubitas? properandum ad iussa dearum:

*Quoque vocant illae, protinus ipsa voco.
Ipsaque, si nescis, sum Coelica Virgo, Deasque
Ordine disponens in statione loco.*

Singulae seorsum.

Grammatica.

His ego, non alijs habito regionibus vsquam.

Methodus.

Me duce plana via est, quae salebrosa fuit.

Rhetorica.

Hic ego Rhetoricae generosa palatia struxi.

Methodus.

Me duce plana via est, quae salebrosa fuit.

Dialectica.

Huc ades, & redeas, qui vis λογικώτερος esse.

Methodus.

Me duce plana via est, quae salebrosa fuit.

Arithmetica.

Si numerare velis, ego sum tibi prompta magistra.

Methodus.

Me duce plana via est, quae salebrosa fuit.

Geometria.

Si cupis esse, nec es Geometres lector, ades dum.

Methodus.

Me duce plana via est, quae salebrosa fuit.
Iuuenis ad easdem.
Adsum, adsum Diuae: me me intromittite quaeso.
Nullae vbi sunt tenebrae, cunctaque luce micant.
Artes ad eundem.
Gratus ades nobis charissime, si tibi gratae
Nos sumus, & lucis captus amore venis.
Methodi epanorthosis ad Artes.
Quorsum, si? praesto est in limine Pallas, alumnum
Vt complectatur, condecoretque suum.
Eiusdem Apostrophe ad iuuenem.
Aspice vt appropere Musis stipata Minerua,
Vt foueat gremio te studiose, suo.
Pallas.
Ingredere o fili, daque oscula grata parenti,
Et veni in amplexus chara propago meos.
Musae.
Et nobis optatus ades suavissime frater,
Musarum ad nutum qui philomusus ades.
Charites.
Aduentuque tuo Charites tibi dicere χαίρε

Gaudent, & labris figere labra tuis.

Methodus.

*Eia sed ad patris properemus nobile fanum,
Cuncta vbi sunt radijs splendidiora suis.
Ecce tibi auratos vultus, rutilosque capillos,
Et pectus fulgens, flammiferosque pedes.
Aspice vt illustret totum diuinitus orbem,
Ac nitidum flauo fundat ab ore iubar.*

Apollo.

*Ingredere o iuuenis fanum, lumenque tuere
Purpureum, ac rutilans ne vereare caput.*

Iuuenis ad Methodum
de Apollinis fano.

*Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam celsi dicere templa poli.*

Methodus.

*Quid mirum? locus est, vbi Phoebos sacra dicamus,
Qui lucis Deus est, & Methodi pater est.*

Epilogus iuuenis
cum ecphonesi.

*O ego ter foelix, Methodi cui cernere vultus
Contigit, & Clarij* templa videre Dei.*

Eiusdem Emblema
ex Ouidio.

*Prisca iuuent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor.*

Methodi Emblema.

Dies diem erudit.

TESTE MEIPSA.

Poeta ad Lectorem.

Hanc Eclogam ante prandium effudi sane potius, quam elaborauit: sed mihi quidem ipsi, & Musis, non eruditibus auribus canebam. Quid multa? statueram tineis potius comedendam, quam typographis edendam tradere. sed vide amabo, vide quantum apud me valeat Methodus: in cuius ego vel honorem, vel gratiam poeticas hasce nugas diuulgavi.

A prandio vero, cum & cibo me, & vino, & risu abunde refecissem, hos statim est versiculos Thalia nostra ex tempore quidem fere, sed Apolline, vt ait ille, nullo modulata.

Ecloga pomeridiana.
Querimonia Musicae,
& Astrologiae ad
Methodum.

*Euge soror, quid nos in te committere tanti
Possumus, incomptas vt remanere sinas?
Ecce omnes abiire proci: quid quaeris? Amator*

*Nemo est: ecce omnes deseruere simul.
Nouimus & qui nos reputarent lumine cassas:
Alter &, haec caeca est, alter &, illa, refert.
Vix aliquis curat tetro squallore iacentes:
Adde nitorem, aderunt millia multa procum.*

Responsio Methodi.

*Non ego, sed vobis fata ipsa inimica fuere:
Queis visum est nostrum tollere signiferum.
Ille tibi, atque tibi formam, lumenque dedisset,
Alliceretque procos ille tibi, atque tibi.
Ast quod differtur, non plane aufertur, vt aiunt:
Atque instar Rami forsitan alter erit.
Praescidit hic glaciem: quid non speremus amantes?
Omnia sollicitus vincere nouit Amor.*

**Querimonia Theologiae,
Iurisprudentiae, & Medicinae
ad eandem.**

*Nostra sed in primis Methodumque artemque requirunt
Dogmata: tam varijs si tamen esse potest.*

Responsio eiusdem.

*Esse potest certe: Virtus amplissima nostra est:
Artificis tantum sentio abesse manum.
Est in Martinio spes non mediocris, & illo*

Martinius.

Freigius.	<i>Syntaxes iuris qui dedit ante duas.</i>
Zuingerus.	<i>Est in Zuingero spes non mediocris, & illo</i>
Schorus.	<i>Qui tabernensi sanxit agenda scholae.</i>
Meluinus.	<i>Est in Meluino spes non mediocris, & illo</i>
Rodingus.	<i>Qui Marpurgensem perpolit arte gregem.</i>
Montrisius.	<i>Est in Montrisio spes non mediocris, & illo</i>
Makylmenaeus.	<i>Exemplis logicos qui locupletat agros.</i>
Chytraeus. Molanus.	<i>Tu quoque spem Chytraee facis, facis atque Molane:</i>
Vessodus.	<i>Vessode & in primis spemque fidemque facis.</i>
ornatissimi, atque	<i>Est in permultis spes non mediocris, & illis</i>
doctissimi	<i>Inclyta qui studij signa dedere sui:</i>
Galli, Germani,	<i>Partim Itali, partim Hispani, partimque Britanni:</i>
Scoti, Itali.	<i>Partim etiam ex alijs gentibus, atque locis.</i>
Hispani. Britanni.	<i>Si tamen hi tantum renuant tolerare laborem,</i>
alij.	<i>Ramus at est aliquis credo futurus, Amen.</i>

Eiusdem Emblema ex Ouidio.

Non est mortale, quod opto.

Musicae, & Astrologiae,
Theologiae item, Iurisprudentiae,
& Medicinae Emblema.

Dum spiramus, speramus.

Apostrophe Methodi ad omnes
eloquentiae, philosophiaeque professores:
vt artibus ex P. Rami
instituto perficiendis operam
dare velint.

1 Testimonij
elenchus forti-
ter sublatus.
2 Artificiosi
leges iudicij
perdiligenter
obseruatae.
3 Vsus pru-
denter reuocatus.

*Interea e cathedris hunc praelegitote magistrum
cum grauitate breuem, cum breuitate grauem.*
*1 Vnus enim vobis cunctando restituit rem,
Dum fugeret tanquam dedecus, αὐτος ἔφη.*
*2 Vnus item vobis cunctando restituit rem.
Dum κατά παντος erat, quicquid in arte tulit.*
*3 Vnus & hic vobis cunctando restituit rem.
Dum probat ex vsu, quicquid vbique probat.*
*Corrigit errantes, abiectos erigit, omnes
Dirigit, & cunctis porrigit ille manum.*
*Sed nec eo melior quisquam, nec doctior vnquam
Aut fuit, aut nunc est, aut fore credo potest.*
*Nempe ex vngue Leo: vos exprimitote Leonem:
Alter vt ex vobis protinus esse queat.*
*Spartam estis nacti: Spartam exornate colendo:
Ramus vt ex vestro prodeat ille solo.*

Eadem ad omnes eloquentiae,
philosophiaeque Candidatos:
ut in idem Artium perficiendarum
studium incumbant.

*Et vos o docti: si re, non nomine tantum
Doctrinae vobis gloria, lausque placet:
Respicite huc, vestrumque ducem, vestrumque magistrum
Aspicite, & facili conteritote manu.
Et docet indoctos, & doctos erudit ipsos:
Accenditque nouis frigida corda focus.
Non semel est, saepe est voluendus, & euoluendus:
Ramus vt ex vobis alter & alter eat.
Qui legit hunc, leget hinc peramenos vndique fructus:
Atque ducis tandem par erit ille sui.
Par erit ille ducis, dicetur & alter ab illo:
O decus, o splendor, par erit ille ducis.
Ergo agite, ad laudem celeri contendite cursu:
Aut hic, aut nusquam gloria vera nitet.
Tunc bene fortis equus reserato carcere curret,
Cum quos praetereat, quosque sequatur, habet.*

Eadem ad vtrosque: vt Ramum
ipsum Epitaphijs, epigrammatisque
decorent: quorum argumentum fere subijcitur.

*Sed tumulum interea facite & superaddite carmen:
Ramus ego, notus fructibus ipse meis.
Dicite & Herculeos exantluisse labores,*

*Monstraque mirandis edomuisse modis.
Dicite & Augiae stabulum purgasse profundum,
Et superasse hydras, & Diomedis equos.
Dicite & Hesperidum pulcherrima mala tulisse,
Victorisque amplum commeruisse decus.
Dicite &: hic situs est Phaebi, Charitumque satellis*:
Armiger & magnae Palladis hic situs est.
Dicite &: hoc tumulo Methodi patronus, & vsus
Vindex, & legum signifer ipse iacet.
Dicite &: en Ramus, cuius clarissima laudi
Atque hic, atque alias praemia sunt, & erunt.
Dicite &: hic Ramus semper semperque vigebit,
Illius & fructus perpetuatus erit.
Dicite &: hunc Anglus, Scotus, Germanus, Iberus,
Italus extollet, Gallus ad astra feret.
Epilogus eiusdem
cum Epanorthosi.
Sed brevis est Methodus: nec vos monuisse necesse est,
Certatim illustres qui decoratis auos.
Eiusdem Emblema
ex Virgilio.
Stat sua cuique dies: breue, & irreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.*

DIXI.
VALETE AMICI OPTIMI.
& Methodum vestram in amoribus
delicijsque habetote.

Poeta ad Lectorem.

Haec cum paucis horis, inuita, quod aiunt, Minerua, & indignante Mercurio, cecinissem: derepente sum ad coenam vocatus. Et quidem cogitaram vespertinam aliquam, vel potius nocturnam Eclogam a coena texere. Verum Ceres, atque Bacchus Mineruam, & Apollinem retuderunt. Itaque nocturnam illam lucubrationem in aliud tempus, in aliumque locum reseruauimus: & bonam, magnamque noctis partem natalitijs tum lusibus, tum Colloquijs contriuimus. Habes humanissime Lector, non Apellis vnus diei lineam, sed rudis poetae vnarum feriarum opus: quod si politulis auribus arrideat, gaudebo: sin minus, mihi quidem istic nec seritur, nec metitur, vt inquit ille. *VALE.*

Cantabrigiae. Calend.
Martijs. 1575.

Sed heus tu, rogatus sum nudiustertius, vt quatuor insignes, exquisitasque sententias, quae mihi saepe in ore sunt, attexerem, & communicarem cum multis, quae mihi tantopere probarentur. Quid queris? visae sunt mihi & te, & auctoribus

suis dignissimae. Itaque eas etiam ascribendas curavi. Iterum vale.

TVI, ET DOCTORVM

omnium studiosissimus, A.P.S.

P. Rami, Daudis Chytraei, Ioannis Thomae
freigij*, & Poetae quatuor aureae, &
insignes Gnomae.

P. Rami gnoma ex Platone, & Aristotele.
ἡ γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἥδε ἀπειρία τύχην.

D. Chytraei gnoma ex Xenophonte.
οὐδέν οὕτως οὔτε εὐχρηστον οὔτε καλὸν
ἀνθρώποις ἐστὶ, ὡς ἡ τάξις.

I. Freigij gnoma ex P. Ramo.
*Malitiosi, & improbi animi est, errore delectari:
lucem odisse, tenebras consecrari: publicis
malis gaudere: honesta studia
remorari.*

Poetae gnoma ex Ouidio.
Solus & artifices qui facit, vsus adest.

PROSINT.